



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# Universitätsbibliothek Paderborn

## Indvstria Spiritvalis

Spee, Friedrich von

Coloniæ Agrippinæ, Anno M.DC.XXXIX.

Alia Oratio ante Communionem.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-43756**

omnium peccatorum meorum remissionem, Amen.

*Alia Oratio ante Communionem.*

**A**d mensam dulcissimi conuiuij tui, pie Domine Iesu Christe, ego peccator de proprijs meritis nihil præsumens, sed de tua confidens misericordia & bonitate, accedere vereor & contremisco. Nam cor & corpus habeo multis criminibus maculatum, mentem & linguam non cautè custoditam, Ergo, ô pia Deitas, ô tremenda maiestas, ego miser inter angustias deprehensus, ad te festino sanandus, sub tuam protectionem fugio: & quem iudicem sustinere nequeo, saluatorem habere suspiro. Tibi Domine plagas meas ostendo, tibi verecundiam meã detego. Scio peccata mea multa & magna, pro quibus timeo. Spero in misericordias tuas, quarum non est numerus.

Respice

49

Respice ergo in me oculis misericor-  
diæ tuæ, Domine Iesu Christe, Rex  
æterne, Deus & homo, crucifixus  
propter hominem. Exaudi me spe-  
rantem in te: miserere mei, pleni mi-  
serijs & peccatis: tu qui fontem mi-  
serationis nunquam manare cessa-  
bis. Salve salutaris victima, pro me  
& omni humano genere in patibu-  
lo crucis oblata. Salve nobilis & pre-  
tiose Sanguis, de Vulneribus cruci-  
fixi Domini mei Iesu Christi proflu-  
ens, & peccata totius mundi abluens  
Recordare Domine creaturæ tuæ  
quam tuo sanguine redemisti. Pœ-  
nitet me peccasse: cupio emendare  
quod feci. Aufer ergo à me, cle-  
mentissime Pater, omnes iniquitates  
& peccata mea: vt purificatus mente  
& corpore, dignè degustare merear  
sancta sanctorum: & concede, vt  
sancta prælibatio Corporis & San-  
guinis tui, quam indignus sumere  
intendo, sit peccatorum meorum  
remissio,

remissio, sit delictorū perfecta pur-  
gatio, sit turpium cogitationum ef-  
fugatio, ac bonorum sensuum rege-  
neratio, operumque tibi placentium  
salubris efficacia, animæ quoque  
& corporis, contra inimicorum  
meorum insidias, firmissima tuitio,  
Amen.

*Oratio S. Thomæ Aquinatis*

**O**Mnipotens sempiterne Deus,  
ecce accedo ad sacramentum  
vnigeniti Filij tui Domini nostri Je-  
su Christi: accedo tamquam infir-  
mus ad medicum vitæ, immundus  
ad fontem misericordiæ, cæcus ad  
lumen claritatis æternæ, pauper &  
egenus ad Dominum cæli & terræ.  
Rogo ergo immensæ largitatis tuæ  
abundantiam, quatenus meā curare  
digneris infirmitatem, lauare fœdi-  
tatem, illuminare cæcitatem, ditare  
paupertatem, vestire nuditatem: vt  
panem Angelorum, Regem regum,  
Domi-